

celatus? et collimetur ea

DISPUTATIO IN AV-
GVRALIS THEORETICO-
PRACTICA

*Jus potandi, cum omnibus solennitatibus
& controversiis secundum ius utrumq;
discussis, breuiter adumbrans*

QVAM

PERMISSV ET AVTHORITATE
NOBILISSIMI ET FAMOSISSIMI ORDI-
NIS IN ACADEMIA DIVÆ Po-
tinæ.

PRÆSIDE

*DIONYSIO BACCHO SYMPOSIASTE SVVM-
mo, & Antecessore præcellentissimo*

In Collegio Hilaritatis, Sympotis suis præstantissimis
publicè exponer

BLASIVS MVLTIBIBVS VTRIVSQVE VI-
ni & Cereuisiae Candidatus.

*Horis Antemeridianis, & Pomeridianis solitis
& licitis.*

Respiciendum an & quantum in naturâ hominum sit.
I. 38. ff. de reb. cred.

OENOZYTTHOPOLI,

Ad signum oculorum rubriculorum.

M.DC.XVII.



DE JURE POTANDI, *Positio I.*

Cottidiana esse addiscenda, Lucerna illa Iuris,
Paulus in *I. legani. 25. ff. de liberat. legat. admonet.*
Cum itaque nihil (quod sciam) sit familiarius,
nihilque magis solenne, quam ipsius Bacchi
sacra; & verendum, ne nobis obiciatur, quod olim Seruio
Mutius opponebat in *L. necessarium. 2. §. Seruius. 43 ff. de orig.*
iur. turpe esse Germano jus conuiuorum, in quo quotidie
versatur, ignorare: Non abs re esse duxi, si nonnullas ob-
seruationes tam Theoreticas quam Practicas in gratiam
eorum qui aliquando animum ad forum applicare desi-
derant, euentilarem, quo rudiores excitarentur & excole-
rentur, eruditioribus vero penitus in eam rem inquitendi
ansa propinaretur.

2. *O r i c o h u i s Dionysii festi quin sit antiquissima omnibus*
constat. Vsum itidem promiscuum omnibus gentibus
communem esse, æquè notum est: temporum tamen cuo-
litione nemo non Germanis, propter sedulam eorum de-
uotamq; erga hoc numen religionem & culturam, prin-
cipatum obtulit; quam laudem pressis velut manibus pro-
terue adhuc præceteris sibi retinent & defendunt. Ad hos
itaque, eorumque consuetudines, præsens collimabit dis-
putatio, quam tamen principaliter ad praxin Academi-
cam volo accommodatam.

3. Huius Numinis cultus in commessionibus & pota-
tionibus consistit. Potatio est strenua poculis suscep-
tivitatio. Ius Po t a n d i est, quod inde resultat, compre-
hendens ritus & solennitates, quidque alterum alteri ex
lege præstare conueniat, subindicans.